

vitur ob ejusmodi causas materia nutritioni destinata & variò
 evacuationis modò è corpore expellitur ; proinde etiam pin-
 gvifica facultas impeditur & feriari tenetur. Nota est com-
 munis veterum sententia, quod vitium primæ & secundæ con-
 coctionis non corrigatur in tertia ; videlicet, quando oris atq;
 ventriculi culpâ cibi non ritè comminuuntur, inqve chylum
 inculpabilem convertuntur ; porrò, quando reliqua viscera,
 mitioni sanguinis destinata suppetias suas non conferunt, aut
 legitimos humores elaborant, & organa depurandi sanguinis
 atqve excretioni humorum destinata, officio suo non satisfac-
 ciunt, quando inquam hi defectus in œconomia corporis oc-
 currunt, subsequens tertia concoctio vix melior expectanda
 est, atqve sic canon ille medicus vix etiam impugnari potest.
 Nexum hunc verò à priscis usu receptum non agnoscit *Laur:
 Gieselerus de Peste Brunsv. obs. 46.* Tertiæ enim coctioni corpo-
 ris suam peculiarem rem publicam, negotium & actiones tri-
 buit ; utpote à qua sola externi habitus constitutio bona vel
 sinistra dependeat. Probat etiam hoc autor exemplo scabiei,
 quæ reliquis partibus, vel illarum coctionibus integris existen-
 tibus tamen occupet externas partes. Demonstrare illud por-
 rò nititur autor, quòd oves sæpe præpingves sint & *ευσαρκαι*,
 quarum hepar tamen ficcum, hydatibus & calculis refertum
 visatur. Sed hæc forsitan conciliationem admittunt, nec in-
 differenter accipienda sunt, ac si partes reliquæ, quomodo-
 cunqve constitutæ sint, nihil ad tertiam priscorum coctionem
 conferant ; aut vicissim tertia coctio malè constituta, propter
 circulationem sanguinis reliquis coctionibus nihil damni in-
 ferat ; quæ prolixitatis fugiendæ gratia jam penitiùs exami-
 nare supersedemus. Qui itaqve cibos bonos benè ingerit, di-
 gerit & egerit, & cujus nutritio non impeditur in actu, non
 potest non etiam consequi ex his causis & adminiculis effe-
 ctum, scilicet corpulentiam carnosam atqve pingvem ; quam-
 vis etiam fundamenta alia, scilicet hæreditaria dispositio &
 similia sæpe requirantur. Interim tamen cibi boni & abun-
 dantes obesitati imprimis inserviunt, cum à vento vix popam
 veram quis contrahat, de quibus brevi plura occurrent. Quòd